Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1189

Quelle:
Copyright:

naventurae ex O. M. Card. Ep. *Alban.* dicti antea *Joh. Fidantii*, et a Graecis *Eutychii*, quin *Euſtachii*, *Hetruſci*, in Concilio *Lugdun.* 1274. defuncti, praecipuique Aſceſeos cum Theologia ſcholaſtica conciliatoris *Scriptum in Librum II. Sententiar. Petri Lombardi*, quod init: *Solummodo hoc inueni, quod deus fecit hominem rectum* &c. et definit: *ſecundum quod manifeſtat ſeries duorum precedentium librorum, cui eſt omnis honor et gloria et laus et imperium per infinita ſecula ſeculorum amen.* Accedit *Quaeſtionum* Tabula. Ita etiam habes in Edit. *Opp. Lugdun.* 1668. T. IV. f.

DII.

U. 435 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 201. f. per duas columnas pereleganter deſcriptus, rubricis laetus, et Collegio Ducali quondam relictus ab *Jodoco Weiler de Hailprunna* T. D. et D. *Stephani* Canonico alterum eſt Exemplar *Bonaventurae in II. Sententiar.* integerrimum et Tabula *Quaeſtionum* ſtipatum. Codex hic uterque ſub finem legit: *hominem rectum fecit, qui ſe infinitis queſtionibus miſcuit peccatorum*, Editione citata τὸ *peccatorum* ſubprimente.

DIII.

U. 312 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 124. f. min. per duas columnas ſcriptus, et olim teſtamento *Jodoci Weiler de hailprunna* ſaepius memorati relictus Collegio Ducali *Wienne* continet I. D. *Bonaventurae*, ſive *Eutychii*, *Euſtachii*, alio nomine *Joh. de Fidanza* O. M. Ep. *Alban.* et Card. inter Scholaſticos *Doctoris Seraphici*, qui obiit in Concilio *Lugd.* a. 1274. *Commentarium in III. Librum Sententiarum Petri Lombardi.* Incipit is ſtatim ab Art. 1. *Cum venit plenitudo temporis &c. Primo queritur. utrum diuina natura potuerit uniri cum humana. et uidetur quod non. Vniri eſt pati* &c. Abſunt igitur omnia illa, quae in Edit. *Opp. Lugd.* 1668. T. V. p. 4. praecedunt. Ita et in fine Codex in his verbis ſiſtit: *triplicat ſibi meritum et conſolamen*; ubi Edita procurrunt pluribus lineis: *Iſtud eſt complementum dubii literalis ſuperpoſiti* &c. Clauſula adjecta: *Expliciunt queſtiones principales tercij libri bonauenture. Deo gratias amen.*

II. *fol.* 83. absque Inſcriptione ſuccedunt ab alia minuta manu *Capita* XLI. quibus diverſae voces biblicae, et praecipue *Pſalmorum*, diſtinguendo exponuntur, ut erat aevum ſuperius amans diviſionum et ſubdiviſionum numericarum. C. I. ita init: *Notandum quod eſt multiplicatio a deo et eſt multiplicatio ab homine* &c. Multiplicationem a Deo dividit in *multiplicationem mali et boni*, mali triplicem, videlicet *caſtigationis, comminationis et tribulationis* &c. Ita in C. II. agitur de *Stilla doctrine, gratie, culpe et pene*, in III. de *Lotione temporali et ſpirituali vel bona vel mala*, in IV. de *Signo mali*